

opere operato per sacramentum baptismi, et praecipue per frequentem eucharistiae receptionem, quae cum tanto maior sit, quanto melior dispositio adest ex parte subiecti; non potuit haec non esse copiosissima, cum dispositio ex parte Virginis fuerit perfectissima. Quae omnia, ut melius intelligantur, iuvare potest id, quod de calculo, seu laticularia dici solet, nimirum, quod cum hoc ludi genus non habeat plures, quam sexaginta quatuor sedes, si tamen in prima sede unum frumenti granum colloces, in secunda duo, in tertia quatuor, et sic proportionaliter in singulis duplicata ponas, tam ingens erit granorum numerus, ut ad illum explendum non sufficeret cuiuscunque fecundissimae provinciae frumentum: si igitur in sexaginta quatuor tantum sedibus tantus sit numerus, quid quaeso indicandum erit de b. Virgine, quae quotidie non sexaginta quatuor actus charitatis, sed quampures alios peccati infinitos exercebat, si continuationem eorum speciemus per sexaginta tres annos? maxime quia, ut constat ex praedicto discursu, certe in fine vitae per quemlibet actum charitatis, cum semper operaretur secundum totam, vel maiorem intensionem habitus, ex speciali Dei auxilio, plus merebat, quam in toto tempore vitae praecedentis meruerat; et sic proportionaliter de actibus sequentibus usque ad ultimum vitae habitum. Qui ergo recte computaverit excessum, qui ex hac additione singularum actuum resultat, inveniet, esse fere infinitum, et facile sibi persuadebit, ingentem adeo esse gradum gratiae multitudinem, quam meritis suis b. Virgo acquisivit, ut solus Deus eius immensitatem mensurare possit, Salomone dicente (Ecl. 1): *Ipsa solus mensus est eam: unde merito d. Bernardinus (serm. 51. de B. Virg.) tantam asseruit hanc Marianam exlitesse gratiam, ut soli Deo cognoscenda reser- vetur.*

Ultimam tandem probationem dirigo ad la- befactandas imbecilles quasdam rationes, quibus Abulensis (1. *prolog. in Matth. g. 19*), et quidam alii pauci, infimi nominis, qui ei adhaeserunt, probare contendunt, Christum plus diligeret Ecclesiam, quam Matrem suam. Prima est: nam b. Virgo pars quaedam fuit Ecclesiae, et redempta est, sicut quicumque alius de Ecclesia; pars autem non est dignior toto, nec maior illo: secunda: quia Virgini non fuerunt privilegia collata, nisi propter Ecclesiam: fuit enim tot gratiae muneribus donata, ut esset Mater Dei: non autem ad eam dignitatem eveheretur, nisi propter salvandam Ecclesiam, Filius Dei carnem assumeret, ut eam proprio sanguine redimeret. Verum prima ratio in eo peccat, quod reliquum corpus Ecclesiae absque Virgine non est tota Ecclesia, ut ait Abulensis, cum inter eius membra beata Virgo sit potissimum omnium, sed est pars quaedam multitudine, et numero Virgine maior, intensivo vero valore, et pretio minor: unde d. Bernardinus (serm. 13. de fest. Virg. c. 3), ubi supra dixit, magis fuisse intentam a Deo redemptionem Matris suae, quam omnium servorum eius. Deinde, licet Deipara Maria pars quaedam Ecclesiae fuerit, nihil tamen incon-

venit, ut quemadmodum supremum coelum, licet alioquin pars sit totius mundi, magnitudine sui ambitus reliquas omnes partes simul sumptas complectatur; ipsa etiam Virgo reliquas omnes partes, ex quibus coalescit Ecclesia, magnitudine suae gratiae superet. Saecundam etiam Abulensis rationem imbecilliorum iudico: b. enim Virgo non fuit dilecta Deo propter Ecclesiam magis sibi dilectam; sed cum illa esset amplius, quam tota Ecclesia dilecta, ipse decrevit, ut remedium afferret Ecclesiae, concipiens, et pariens eius Redemptorem. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Varis interpretationibus, partim ex sanctorum Patrum fontibus haustis, partim a nobis inventis, ingenti conceptuum copia, verba illa explicamus, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

Anlequam sacramenta, quae in propositis verbis latitant, detegamus, prius explodendus est error quorundam asserentium per illa verba, *Dominus tecum*, significasse angelum. Deum per carnis assumptionem in virgineo utero iam tunc esse cum Maria: ad quod testimonium ex quibusdam apparentibus Patrum levis, praesertim d. Petri Alexandrini, prout habetur (in conc. Eph. 1. 2. c. 7), Augustini (serm. 2. de Assump.), d. Hieronymi (epist. 140. ad Principianam), s. Thomae Aquin. (3. p. q. 10. ar. 4), b. Pet. Damiani (serm. 1. de Nat. Virg.), Nicephori (lib. 1. cap. 8), et Andreae Cretensis (oratio de Ann.), qui omnes in hunc modum verba illa explicant, ut Dominus tunc esset cum Maria, non solum in mente, sed in ventre: at luce ipsa meridiana ex evangelica lectione patet, b. Virginem nec ante audita illa verba: *Dominus tecum*, nec in prolatione illorum, nec immediate post illa concepisse, cum vere angelus ei postea diceret: *Ecce concipies, et paries Filium*; sicut tunc nondum conceperat. Praecitati ergo Patres nimirum id potuerunt ignorare; quare explicandi sunt, ut eam dicunt, *tecum in mente, tecum in ventre, idem sit quod, tecum est in mente, et tecum erit in ventre*; saepe enim praesens accipitur pro futuro: quo modo etiam accepit graeca lectio; nam ubi nostra vulgata veracissime verit: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*: illa legit: *Quod ex te natum, vocabitur Filius Dei*. Deinde cum illi Patres dicunt, ad salutationem angelicam concepisse Virginem, non accipiunt pro salutatione verba illa praesens: *Ace gratia plena, Dominus tecum*, sed colloquium inter Mariam, et angelum. Solius tamen Andreae Cretensis verba nullam sustinent explicationem, sic enim ait: *Dominum esse tecum dixi, et tu Virgo, quomodo hoc contingeret, ambigis? Dominum ego anteaertisse adventum meum, et tuum subsisse uterum tibi nuncio, et tu de viro mihi disseris, et terreno quodam partu? sed miror sane, virum aliquoquin sapientissimum, in re adeo clara hallucinatum*

fuisse. Hoc supposito varias Patrum expositiones iam proferamus, deinde quas, Deo opulante, ab illis diversas excogitavimus, nostrum erit addeceret. D. Bernardus (super Missus) in hunc modum loquitur: *Pater tecum, qui Filium suum fecit tuum: Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo sibi fecit sacrarium, et tibi servat genitale signaculum: Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. Andreas vero Ierosolymitanus (tract. de laud. Mariae) inquit: Dominus tecum, qui ante te hodie tua tecum est, et ex te paulo post nascetur: nam sicut prius spiritus Beeseel implevit, et ei Dominus Mariam sua gratia implevit, quam ex ea Fidi sui corpus efformaret. Franco Abbas (tom. 6. de gratia Dei) ita scribit: Dominus tecum est, o Virgo, non generali tantum benedictionis gratia, qua cum ceteris sanctis est, verum et singulari praerogativa gratiae, sicut cum matre filius. Dominus tecum, ut viscera tua sanctificet, in carne tua humanam sibi naturam associet. Deinde d. Augustinus (serm. de Natio.) in persona angeli Virginem alloquentis, in hunc modum eam affatur: *Dominus tecum, sed magis quam mecum, in tuo est corde, in tuo utero, adimplet mentem, adimplet ventrem*. Sed percontabitur, et merito, quispiam, quomodo angelus veraciter potuisset Virgini dicere, et vult Augustinus, Deum magis esse cum illa: nam praeterquam Christus Dominus loquens de Ioanne Baptista dixit (Lucae 4. 28): *Qui minor est in regno coelorum, maior est illo*: certe in Maria aderat Deus per gratiam, non per gloriam, in angelo vero per utrumque, coelesti enim beatitudine fruebatur. Verissime quidem, et acutissime loquitur Augustinus, si rem altius perpendamus: nam sicut qui habet certum ius ad haereditatem magnam absque dabo consequendam, dilior reputatur, quam qui iam exiguum aliquam naetus; in communi enim hominum opinione multo plus valet certa magna haereditatis spes, quam exiguae securae possessio; ad eundem ergo modum, quia Deus erat cum Maria per uberiorem gratiam, quae certum ius illi dabat ad copiosorem gloriam, re ipsa consequendam, quam angelus iam possidebat, ideoque veraciter dicit Augustinus in persona angeli: *Dominus tecum, sed magis quam mecum*.*

Ego tamen in hunc modum proposita verba, *Dominus tecum*, expono. Angelus quidem, ut raram ac inauditam salutandi formulam per verba illa, *gratia plena*, temperaret, vulgarem et receptam illam salutationem *Dominus tecum* permiscuit: haec enim frequens erat apud Hebraeos; unde angelus Gedeonem salutavit dicens (Jud. 6): *Dominus tecum, virorum fortissime*; et Booz messores (Ruth 2): *Dominus vobiscum*: existimo autem verba ista, *Dominus tecum*, non salutantis tantum esse, ut exponit Card. Caietanus (super c. 1. Luc.). sed asserentis, ut manenti consensu explicant supra relati, et mox referendi Patres; unde ad illa elucidanda Virginem alloquens, primo mihi usurpo verba illa Psalmi (c. 103): *Tecum principium in die virtutis tuae: Tecum, inquam, o Maria, in die, in quo virtutem generativam*

ac mirabilem tuam fecunditatem in concipiendum Filium Dei abique virili opera, gloriosissime ostentasti, *Dominus quidem tecum: Dominus, inquam, Deus trinus, et unus; quia si de iusto dictum est (Joan. 24): Ad eum venimus, et mansionem apud eum faciemus; quidni dicemus de te, iustissima Maria? alius quidem, et sublimius id praedicabimus. Tecum enim est potentia Patris, te fecundans, ut eundem, quem ipse, valeas Filium generare, pariterque cum illo dicere (Ps. 2): *Ego hodie genui te. Tecum est sapientia Filii, erudiens te, disponens, et praeparans, ut digna eius Mater inveniaris. Tecum est munditia Spiritus sancti, te concipientem, et parturientem inviolatam atque purissimam Virginem conservans. Vel aliter secundo dicamus. Tecum est Pater aeternus, qui ante saecula te elegit, non solum in vivendum, sed et ipsius vitae matrem. Tecum Filius, quem carne indutum novem mensibus in utero gestabas, ac postmodum ubere de coelo pleno pasces, et lactabis. Tecum Spiritus sanctus, qui tanquam fons perennis gratiae, coelestem fluentis te irrigabit, et per te, tanquam per aqueductum, partem eorum ad nos derivabit. Sed neque his tantum modis intueor Dominum tecum esse: est enim tecum, sicut sponsus cum sponsa, quam unice diligit; sicut pater cum filia, quam vigilanter custodit; sicut rex cum regina, quam nullum honorat; sicut sol, cum luna, quam fulgentibus suis radiis illustrat; sicut angelus cum orbe coelesti, quem incessanter regulatissime movet; sicut tandem sapientissimus nauclerus cum navi, quam a scopulis et sylvibus incolumem ad portum deducit. Atque ex his aliam eorumdem verborum expositionem elicio: cum enim angelus praedixisset Mariae (Luc. 1): *Ace gratia plena, rationem et causam illius plenitudinis submissit, dicens: Dominus tecum: quasi clarus diceret, quia praedictis omnibus modis Dominus adest tecum, exuberanti gratia inventris repleta: haec enim divina praesentia fons erat plenitudinem illam scaturiens: unde eleganter Christippus Ierosolym. (serm. de s. Maria) inquit: *Gratia plena, quia tecum est universus gratiae thesaurus, totius laetitiae, rex cum ancilla; cum speciosa inter mulieres speciosius forma praefatis hominum: cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia: quare, si olim Samson leonem suffocavit, quia Spiritus Domini irrui in eum (Jud. 14. 6); et si Daniel per impium iudicem ac fraudulentam capti Susannam sententiam deiecit, quia suscitaverat Deus spiritum eius (Dan. 13); et Iosue tot hostes profligavit, David ursum et leonem fugavit, et gigantem interfecit, et Iudith Holofernis caput amputavit, quia, ut sacra narrat eloquia, Dominus erat cum illis; ac tandem si de Ioanne dicitur, quod exerebat et confortabatur, quia manus Domini erat cum illo; nihil certe mirandum, Mariam plenam esse gratia, cum Dominus auctor gratiae inseparabiliter esset cum illa.****

Aliter etiam eadem verba licet in hunc modum explicare, ut per illa precari, immo et affirmare voluerit angelus omnia, quae ad mysterium incarnationis in Mariano utero ce-

lebrandum necessaria erant, prospere, ac feliciter sibi futura: nam si de Iacob sacra narrat historia, quod postquam introiit in domum Laban soceri sui, res eius familiaris magnam suscepit incrementum, quia Deus erat cum eo: et de patriarcha illo antiquo Joseph eadem commemorat, prospera multa ei successisse, quia Deus erat cum illo: ac tandem de Gedeone testatur, gloriosam de hostibus victoriam reportasse, quia Dominus erat cum eo, prout ei praedixerat angelus; certe ut Virgini innotesceret, cuncta pro votis fortunatissime sibi successura, ideoque Gabriel ait illi (Luc. 1): Dominus tecum. Ultimam interpretationem subiungo, ob quam suppono, Deum propter immensitatem suam ubique esse, ut ipse dixit (Ierem. 23): Coelum, et terram ego impleo; unde David (Ps. 138) dicebat: Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades; si sumperero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris; etenim illic manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua: immo et philosophi gentiles lumine solo naturali id agnoverant; unde Lucanus dixit: Iupiter est quocumque vides: Virgilius, Iovis omnia plena: Mercurius, Mundus est vas Deo plenum: Orpheus, Ipse semper simul est, et totus ubique: ac tandem Aristoteles (lib. 1. de partib. animalium c. ult.) refert, quod cum insignis ille philosophus Heraclitus a quibusdam amicis suis in fumo quodam inclusus ac latens visitaretur, eis dixit: Ingreddimini, quia nec huic loco dii desunt. Sed melius his omnibus philosophis d. Isidorus (lib. de summo bon.) de Deo loquens dixit: Non est inclusus, foris non est exclusus, supra non est elatus, et infra non est depressus. Licet ergo Deus sit ubique, diversimode dicitur existere in creaturis: in omnibus enim sine aliqua exceptione adest per essentiam, quatenus divina eius substantia indistans est ab illis, ac eis summe proxima, iuxta illud Ieremiae (c. 32): Deus e vicino ego sum, et non a longe: adest per praesentiam quatenus omnes illas agnoscit, et intuetur, Apostolo (ad Heb. 4) dicente: Omnia nuda, et aperta sunt oculis eius: adest etiam per potentiam, eas conservans, ne in nihilum redigantur, eas conservans, ne in nihilum redigantur, et in beatissimum David (Ps. 102): Accertente faciem tuam turbabuntur, auferes spirituum eorum, et deficient: adest deinde in iustis, tanquam cognitum in cognoscente, per fidem, et amatum in amante, per charitatem et gratiam, in beatis vero etiam per gloriam. Ut autem explicem, qua ratione b. Virgo intra latitudinem illius communis unionis per amorem et charitatem, qua iusti cum Deo sunt uniti, eos omnes longe praecedat, expendenda mihi sunt verba illa (Cant. 4): Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa. Sane cum indubitatum sil, nullum verbum ex his supervacuum esse, apertissime liquet diversum quid significari nomine sponsae ab eo, quod praesertim vocabulum sororis: iure quidem optimo b. Virgo soror Christi appellatur, quatenus per gratiam, qua sanctificatur, divinae est consors facta naturae; unde d. Paulus (Heb. 2) dixit: Qui sanctificat, et qui sanctificatur, ex uno omnes; ad nomine

sponsae non solum significat, quod ex uno illa sit, quae sanctificata est, et ipse qui eam sanctificavit, sed insuper denotat, quod unum sit ipse, et illa: sicut enim sponsi in duobus corporibus una caro sunt, iuxta illud (1. Cor. 6): Erunt duo in carne una; ita et specialiter hoc connubio unum sunt b. Virgo, et Christus, dilectione scilicet, et spiritu, a Apostolo dicente (ibid.): Qui adhaeret Deo, unus spiritus est. Haec adhaesionem, quae propria est perfectissimae sponsae, per quam ipsa perfecte unum fit cum sponso, non omnis anima iusta habet, cum de ea quae nupta est, Apostolus dicat, divisam esse partem in cognitionem de Deo, partem de mundo; ut significaret ergo Christus, b. Virginem totam, et totaliter sibi inhaerere, et sibi internam esse, addit nomen sponsae supra nomen sororis. At praeter modos istos, aderat tunc Deus in Virgine in praeparatione animi, ut mox ex ea carnem assumeret, et cum illa quandam mirabilem matris cum filio unitatem contraheret, quatenus partem substantiae illius, hoc est, purissimi sanguinis materiam hypostaticae unionis vinctulo Verbum divinum sibi ineffabiliter copulare debebat. Unde b. Petr. Damianus (ser. de nat. Mar.) egregie dixit: Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto specialiter modo, scilicet per identitatem: quam expositionem, postquam haec elaboraveram, inventi apud d. Bernardum (serm. sup. Mis.) his verbis expressam: Cum Dominus sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen est cum Maria; cum qua utique tanta ei consensus fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam sibi carnem contingeret, et de sua, Virginitate substantia unum Christum efficeret, sed potius, unus Christus fieret; qui eius nec lotus de Virgine, totus tamen Dei, et totus Virginitas esset; nec duo tamen filii, sed unus utriusque filius. Atque hinc est, quod cum Virgo tot ac tam variis modis coniunctissima esset Christo, aegre ferebat etiam per momentum ab eius corporali praesentia sequestrari: nam, ut sacri evangelistae commemorant, cum Christus natus invenitur a pastoribus, adest Maria; cum adoratur a Magis, adest Maria; cum fugit in Aegyptum, adest Maria; cum adest Aegypti reddit in Iudaeam, adest Maria; cum praesentatur in templo, adest Maria; cum benedicitur a Simeone, adest Maria; cum ascendit in templum, adest Maria; cum invenitur disputans in eo, adest Maria; cum invitatur ad nuptias in Cana Galilaeae, adest Maria; cum convertit aquam in vinum, adest Maria; cum Christus miraculum fecit, adest Maria; cum turbis praedicebat, adest Maria; cum acerba crucis morte occubuit, adest Maria; cum resurgit, adest Maria, et cum primum omnium se manifestavit; cum tandem ascendit in coelum, adfuit Maria, ut tradit s. Odilius Climaecensis (ser. de B. Virg.).

Septima expositio sit, quod verbis illis, Dominus tecum, angelus tacite cuidam Virginitatis obiectioni respondit: unde perinde fuit, ac si diceret: forte si arbitraris, humillima ac pudicissima Virgo, ad recipiendum in utero tuo aeterni Patris Filium, opus esse magnum non solum spiritualium, sed et temporalium honorum copiam tibi suppeditari, ut illis eius di-

vinitali, his eius humanitati inservias, foras expelle hunc timorem: aliquid omnibus terrenis bonis excellentius habes, quia Dominus tecum, qui cum sit omnium bonorum pelagus, omnia bona venerunt tibi pariter cum illo. Egregium sane doctrinam et omni acceptione dignam, soli Deo innotit, et solum Deum quaerere: inquirentes enim Deum, ut ait David (Psal. 33. 11), non deficient omni bono. Iacob olim, cum adhuc imperfectus esset, excitatus a somno, emisit hoc votum (Gen. 18): Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad vestiendum, reversurus fuero prospere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum: duo hic petiit, ut et sibi assisteret Deus: si Deus fuerit mecum; et ut sibi bona temporalia impertiret: si dederit mihi panem ad vescendum, et d. Gregorius (c. 40. in 3. c. 10) ait, Iacob infirmitatem suam ostendisse in hoc, quod non solum Deo, sed et bonis temporalibus innitebatur, cum tamen soli Deo sibi imitandum esset, qui cum sit omnium bonorum abyssus, tenens illum omnia bona possidet; unde acute et ingeniose sanctus ille Doctor ait: Hinc Iacob, qui angelum tenuit, uno mox pede claudicavit; qui vero amore sublimitate respicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere desideris nescit; uno enim pede innotuit, qui solo Dei amore roboratur, et necesse est, ut altus marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet procul dubio, ut carnis fortitudo torpescat.

Octava denique, eamque praeclaram, ni fallor, interpretationem praecedentibus adnecto: arbitrari quidem singularem mysterio non vacare, quod angelus Virginem salutat dixerit (Luc. 1): Dominus tecum, et non Deus tecum, cum aliunde idem reipsa sit in Deo deitas, et potestas dominativa. Ego sane illud reperio, quod Deus optimus maximus diversimode respicit creaturas in quantum Deus, et ut auctor eorum, et in quantum est eorum dominus absolutus; quatenus enim Deus et auctor naturae res creavit, singulis tribuens quae secundum exigentiam suae naturae, quasi iure iustitiae, sibi debita erant: ad quod significandum ubi nostra vulgata vertit: dixit Deus: fiat lux: originale hebraeum legit, dixit Eloim: quod interpretatur Iudaei: innuens quidem, Deum in rerum creatione velut iudicem relictissimum se gessisse, singulis tribuendo secundum iustitiam distributivam ea, quae illis iuxta merita suae naturae debebantur, ad quod alludens Salomon (Proverb. 8) dixit, quod tunc vibrabat fontes aquarum: librare autem, quod ponderare aut mensurare est, ad iustitiam pertinere nemo ambigit: postmodum vero, facta iam prima rerum creatio, gerens se Deus tamquam absolutus Dominus, ut supremum suum dominium universo orbi ostentaret, consulto naturae iura vivavit, communes eius leges invertit, et multa, prout sibi libuit, commutavit. Etenim tamquam Deus ignem creavit duplici vi praeditum, altera ad comburendum, altera ad lucendum; ipse vero tamquam supremus Dominus germanos hunc effectus, per naturam inseparabiles, separat, et dividit: ignis namque inferni com-

burit, et non lucet, propterea enim Iob vocavit illud terram miseriae, et tenebrarum; contra vero in babilonica illa fornace, in quam missi fuere tres innocentes pueri, ignis quidem lucebat, sed non comburebat: Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiae intulit (Dan. 3): Deus enim tamquam absolutus Dominus unum ab altero secernebat, ut cecinit David propheta (Psal. 28): Vox Domini intercidentis flammam ignis. Similiter tamquam Deus coelestes orbes condidit, regularissimos motus singulis tribuens, quos tota naturae facultas involvere non posset; nihilo secus tamen, tempore losue, tamquam absolutus Dominus, solarem motum cessare fecit, et tempore regis Ezechiae retrocessit sol decem lineas: ut ergo angelus significaret b. Virgini Deum in mysterio incarnationis, et conceptione Filii Dei ex matre Virgine naturae iura velle violare, et communes eius leges abrogare, quia non est impossibile apud Deum omne verbum, consulto ei dixit: Dominus tecum, in memoriam dei revocans supremam, ac omnipotentem Dei facultatem dominativam, qua, prout et libere, facile praestare poterat, ut intacta Virgo genitorem suum conciperet, et pareret. S. Athanasius (ser. contra omnes haereses) allam ad idem nos edocuit rationem: inquit enim, propterea angelum Virgini, Dominus tecum, dixisse, ut maiestatem militantem illum exprimeret, qui universalis est, ac supremus omnium Dominus; et ut etiam hac via Mariam alliceret, ut annunciationi sibi factae facilis, et promptius consentiens obediret, Eli verba sibi usurpans (1. Reg. 3): Dominus est, quod bonum est in oculis suis, facit.

Porro iam ad sequentia verba (Luc. 1): Benedicta tu in mulieribus, accedentes, varia quae in illis sacramenta teguntur, si placet, reseremus. Triplici olim (et haec sit prima horum verborum expositio) benedictionum genere indigebat foemina; prima, ut in fragili, ac infirmo carnis suae vasculo castitatem conservaret; secunda, ut fecunditatem obtineret, quia sterilitas olim valde execrabilis erat; tertia ad victoriam de antiquo serpente reportandam: quia cum Eva prima omnium foeminarum a serpente fuisset illusa, et devicta, videbatur sexus foemineus viros amississe: dicens ergo angelus (ibid.): Benedicta tu in mulieribus, ad omnia haec benedictionis genera mihi videtur alluisse; quod explicare haud difficile erit, si singula percurramus. Primum fuit benedictio, quae ad castitatem conservandam ordinabatur, et haec tripliciter fieri contingeat: quaedam respiciebat castitatem coniugalem, quae magni semper habita fuit apud omnem bene gubernatam republicam: hanc illustris illa matrona Ruth perfectissime observavit, quam propterea benedixit Booz, dicens (Ruth. 3): Benedicta es a Domino filia, quia non es secuta juvenes pauperes, sive praebites: alia castitas est vidualis, quae propter charitativum libidinis experimentum, observatione difficilior esse perhibetur: huius fuit observatissima Iudith, qui propterea Ozias princeps in hunc modo benedixit (Iud. 13): Benedicta filia tu a Domino Deo excelso, eo quod castitatem amaveris,

et post virum tuum alterum nescieris: alia tandem castitas fuit inaudita quidem rara, et digna solum, ut prima eius observatrix esset, quae futura erat Dei Genitrix; haec fuit castitas virginica, expresso voto stabilita, et nunquam violata. Licet ergo praedictae benedictiones uxori, et viduis collatae, celebres sint; haec tamen tertia, quae commendabiliorem possidentem reddit, ut uxori sibi bene consentientes filiorum generationi, et christianae educationi vacent, cuiusmodi est multiplex illa benedictio, quae a sacerdote secundum ritum Ecclesiae romanae viro, et uxori in templo dari consuevit; simili genere benedictionis benedixit Raguel Sarum uxorem Tobiae invenis: alia benedictio ordinatur ad dandam foecunditatem sterilibus praenimla senectute ad matrimonium usum impeditis: quam quidem sterilis Anna mater Samuelis postulavit, et obtinuit. Praeter has tamen benedictiones, alia inaudita fuit Virgini collata, quae foecunditatem matris cum gloria virginitatis ei contulit, quam, ut ei annuntiaret angelus, eam salutavit dicens: *Benedicta tu in mulieribus*. Primum deinde genus benedictionis, quod in sacris literis reperio, ad victoriam de hoste reportandam, triplex est: solum enim modo aliquo stratagmate inimicus devincit; quomodo Iahel de Sisara victoriam obtinuit, quando laete a se propinato, profundum somnum inducente, clavo tempora dormientis Sisarae terebravit, ob quam Debora cum universo populo hebraeo, multis illam benedictionibus cohonestavit; alia excellenter victoria esse solet, quando hoste cum exercitu suo urbem obsidente, et interitum universorum civium minante, ipse interficitur: et exercitus eius fugam arripere compellitur; hac ratione fortissima Judith Holofernem, qui super Bethuliam obsidionem posuerat, exlinxit, et exercitum eius cum magna illius ignominia fugavit; propter quam insignem victoriam summus sacerdos hanc ei benedictionem contulit (*Judith 13.10*): *Benedicta filia: tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri*. Tertia tandem victoria, et omnium potissima, maiorique commendatione digna esse censetur illa in qua strenuissimus, ac sagacissimus, et ideoqueque multissimus hostis pacifica bonorum suorum possessione gaudens, ab ea potenter deturbatur, vincitur, et subjugatur: hanc ceterae comparavit beatissima Virgo, cum fortis armati atrium suum in pace consudientis, ut verbis Christi Domini utar, caput contrivit, iuxta antiquum vaticinium (*Gen. 4*): *Ipsa conteret caput tuum*; atque ad haec celebrem victoriam, quam non ignorabat, angelus alludens, benedixit Mariam dicens: *Benedicta tu in mulieribus*. Secunda expositio sit, quod in sacris literis benedicere idem est quod beneficare, et dona, sive munera in aliquem conferre: sic Abigail munus offerens, nempe ducentos panes, et duos vini utres, et quinque arietes, dixit David (*2. Reg. 25*): *Suscipe bene-*

dictionem hanc, quam attulit tibi ancilla tua domino meo: similiter Naaman Syrus Eliseum in hunc modum alloquitus est (*4. Reg. 15*): *Obece, ut accipias benedictionem a serro tuo*: sic et apud Genesim dicitur: *Benedixit Dominus domui Aegyptii propter Ioseph, et multiplicavit tam in aedibus quam in agris, cunctam eius substantiam: ecce benedicere apud sacra eloquia idem est quod conferre dona*. Angelus ergo ad significandum, Deum permultis coelestibus donis b. Virginem super omnes foeminas cumlasse, benedictam in mulieribus eam appellavit. Fateor quidem Iahel, eo quod Sisaram interfecit, Judith, quia Holofernis caput amputavit, Abigail, quia iratum Davidem contra Nabal virum suum sedavit, aliasque foeminas olim a patria, sacerdotibus, vel parentibus varias benedictiones obtinuisse; benedictio tamen b. Virginis supergressa est universas illas, cum ipsa caput daemonis contriverit, humani generis hostem profligaverit, et nos Deo Patri reconciliaverit: unde Ecclesia catholica canit: *Virga Jesse floruit, virgo Deum, et hominem genuit, pacem Deus reddidit, in se reconcilians inanimis: ubi impletum intueor, quod in figura eius lego apud Ionam prophetam, ubi dicitur, quod rex Ninive descendit de solio, et indutus est sacco ad placandum iram Dei contra Ninivem. Dei quidem Filius, rex regum, descendit de coelesti sinus Patris solio, et in utero virginali indutus est sacco nostrae mortalitatis, in quo erat thesaurus sanguinis sui, cuius propter peritum mundum reconciliavit Patri: cum ergo b. Virgo hunc reconciliatorem nobis pepererit, merito illam nos Deo reconciliasse praedicamus. Deinde, quia si benedictio Dei est gratiae, donorumque collatio, cum tot coelestium charismatum flumina in hoc mare magnum Mariae confluerint, non potuit non eius benedictio aliorum omnium benedictionem longe praecellere: hanc merito licebit nobis in honorem Virginis verba illa Jacob (*Genes. 49*) ad filium suum loquentis usurpare: *Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum eius: quod ne gratis dicere videar, celebriores antiquorum patrum benedictiones in medium producam. Sed prius, quaeso, in memoriam revocemus benedictionem illam, quam Deus diei septimo imperavit (*Gen. 3*): *Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum: fuit autem illa benedictio consummatio operum Dei, quia ut ibidem dicitur: *Requievit die septimo, et cessavit ab universo opere quod paravit*; at cum in beatissima Virgine fuerit facta perfecta operum Dei consummatio per unicum creaturae cum Creatore in unitate personae, insequere Deus requieverit in utero Virginis, illa dicente (*Eccles. 24*): *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: consequens est a benedictione Virginis longe superari sabbati benedictionem, et a sabbatis recreationis mirum in modum illum creationis sabbatismum valde antecelli. Celebris est apud divina eloquia benedictio illa, quam Isaac filio suo Jacob imperavit (*Gen. 27*): *Tibi Deus de rore coeli, et de pinguedine terrae abundantiam frumenti, et vini, et serciant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante*****

te filii matris tuae: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus replentur. Hanc quidem benedictionem vestigium quoddam esse benedictionis, qua omnium optima filia Jacob fuit benedicta, facile erit commonstrare. Dedit quidem Virgini de rore caeli bifariam; primo pluit in illam ros divinae gratiae; deinde misit in uterum eius coelestem illum rorem, quem antiqui patres obnixae postulabant (*Isai. 45*): *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum*: ut enim ingeniose ait d. Chrysologus (*ser. 3. de Annunc.*): *Coelestis imber virginem in vellus placido se fudit illapsus, et tota divinitatis unda bibulo se nostrae carnis celavit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet*: dedit deinde Virgini excellentiorem alium pinguedinem terrae, cum adeo foecundam illam redderet, ut Christum, tanquam fructum proprium, absque ulla viri industria produxerit, qui frumentum est electorum, et vinum germinans virgines, ut dixit Zacharias (*9. 17*). Illud autem, quod Isaac (*Gen. 27*) subiunxit: *Serciant tibi populi, et incurventur ante te filii matris tuae*, quis non videat praerudis Virgini, quam Jacob congruere? Intereratque enim Deiparae Mariae inseruiunt fideliom populi, adoratione hyperduliae venerantur: infelices tandem haereticis, qui illam maledicere audent, maledicti sunt a Deo, et a sancta eius Ecclesia catholica; qui vero illam benediciunt orthodoxi, benedictionibus Dei, ipsa experientia comprobante, cumulatissime replentur. Ad haec insignis etiam fuit benedictio Iosephi, quae Mariane benedictionis umbra et imago extitit: verba illius sunt (*Gen. 49*): *Omnipotens benedixit tibi benedictionibus coeli desuper, benedictionibus abyssis iacentis deorsum, benedictionibus uberum, et vulvae*: magna haec videbuntur, sed multo sunt inferiora his, quae in Mariam divinitus fuere collata, cum et benedictione plenitudinis gratiae, nec non benedictione profundissimae humilitatis, sub nomine abyssis iacentis deorsum significatae, fuerit cumalata; ac tandem Christum concipiens et pariens, ubereque de coelo pleno illum lactans, benedictionibus uberum, et vulvae fuerit mirifice locupletata.

Hinc ea oritur difficultas ex discursu iam facto, cum Mariae benedictio benedictiones tam mulierum quam virorum longa intercapedine superet, quomodo angelus, sermonem quasi constringens, solum dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, non autem et in viris? Duplicem huius rationem reddo. Primam, quia Christus Dominus de ea nasciturus, magis benedictus, quam illa futurus erat inter viros, utpote Deus et homo; et ideo solum eam appellavit benedictam inter mulieres. Secundam, quia suprema dignitas Virgini conferenda erat, Dei genitricem esse, quae viris competere non poterat, sed solum mulieri; et ideo Angelus non dixit eam benedictam in viris, sed tantum in mulieribus. Tertia ratio, quia angelus significare voluit singulare privilegium Virgini collatum praeeunctis mulieribus, tam virginibus, quam viduis et coniugatis, nimirum, quod quidquid boni erat in his tribus statibus, in ipsa non

desideraretur; quidquid vero mali, longe ab ea aberat: in virginitate namque invenitur bonum integritatis admixtum cum malo sterilitatis; in viduis adest bonum libertatis animi, sed coniunctum cum malo solitudinis, et defectu consortii: ut enim ait Salomon (*Eccles. 4. 16*): *Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se*; ac tandem in coniugio invenitur bonum prolis, admixtum tamen cum malo iacturae virginitatis: cum ergo sola Maria praeeunctis mulieribus habuerit virginitatem sine sterilitate, animi libertatem absque defectu consortii, cum vere fuerit desponsata viro, nec non etiam foecunditatem prolis absque violatione virginitatis, merito angelus benedictam praeeunctis mulieribus illam praedicat. Ac tandem, capropter hoc genus laudis et tribuisse arbitror, quia olim triplici maledictionis mulieres erant subiectae, puta opprobrii quoad foecunditatem; modo Rachel dixit cum peperit (*Gen. 30*): *Abstulit Dominus opprobrium meum: peccati quoad concipientes, iuxta illud (*Psal. 50*): In peccatis concepit me mater mea: tandem supplicii quoad parturientes, iuxta illud (*Gen. 3*): *In dolore paries filios tuos*. Sola vero Maria super omnes mulieres est benedicta, cuius virginitati additur foecunditas, et foecunditati in conceptu sanctitas, et sanctitati in partu iucunditas. His adhaec verba antiquissimi Tertulliani (*lib. de velan. virgin.*): *Quid angelus cum benedixit Virginem inter mulieres, non inter virgines illam deputat, dicens, Benedicta tu inter mulieres? seiebat, et angelus mulierem etiam virginem dici, sed ad haec ingeniose quidam mihi respondisse visus est: quoniam quidem desponsata est Maria, idcirco et ab angelo, et ab apostolo mulierem esse pronunciatam; desponsata enim quodammodo nupta, sed et mulier censetur propter sezum. Tertiam adnecto expositionem, ad cuius intelligentiam suppono, benedicere in sacris Scripturis non semel accipi pro eo, quod est foecundare seu prolem dare, ut observavit d. August. (*ser. 10. et 11. de Nativ.*): sic enim (*in Genes. 1*) legitur: *Benedixit illis Dominus, dicens, crescite, et multiplicamini*, et c. 49 habetur: *Omnipotens benedixit tibi benedictionibus uberum, et vulvae*: cum ergo angelus vocat b. Virginem benedictam, significare voluit coelestis fore foecunditatem, et propter eius benedictam prolem ipsam etiam super omnes mulieres esse benedictam, et ab omnibus benedicendam, iuxta illud (*Luc. 1*): *Beatum mo dicent omnes generationes*. Hanc expositionem amplectitur d. Bernar. (*ser. 3. de Annunc.*), cuius praecelera verba, tametsi non pauca, quia tamen praecelera ac pietate plena, hoc loco adscribenda censui: sic enim ait: *Vere benedictus fructus ventris tui, in quo benedictae sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accipisti cum ceteris; ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus, ille vero benedictus, non in hominibus, sed inter angelos, sed quia est, ut ait Apostolus, super omnia benedictus Deus in saecula. Dicitur benedictus vir, benedictus pater, benedicta mulier, benedicta terra, vel, si quid tale in creaturis benedictum esse, memoratur; sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit super omnia benedictus Deus in sae-***

cula. Benedictus ergo fructus ventris tui. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Huius odoriferi fructus fragrantiam sentiant, qui dicebat: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. De sapore huius fructus quidam, quod gustaverat, taliter eructabat dicens: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, et alibi: Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te; et alius quidam: si tamen, inquit, gustatis, quoniam dulcis est Dominus. Et ipse fructus de se, invitans nos ad se, ait: Qui edit me, adhuc esuriet, et qui bibit me, adhuc sitiet. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum, bonus fructus, qui animarum esurientium, et sitientium iustitiam, et esca, et potus est. Audistis de odore, audistis de sapore, quid et de specie; si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum; sed etiam, teste Scriptura, delectabilis aspectu: quanto magis huius vitalis fructus viciflorum decorum debemus inquirere, in quem, teste alia scriptura, desiderant etiam angeli prospicere? Cuius pulchritudinem in spiritu videbat, et in corpore videre cupiebat, qui dicebat: Ex Sion species decoret eum; et ne medicorem tibi videatur commendasse decorem, recito quod alio Psal. 44. legis: speciosus forma prae filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum: ex cuius benedictione, benedicta etiam tu in mulieribus, quia non potest mala arbor fructum facere bonum; haec enim d. Bernardus. Ad extremum, triplex in matrimonio bonum reperitur, fides, proles, et sacramentum, ut tradit d. Augustinus (lib. de nuptiis); ob quae merito coniugali coelestem Dei benedictionem accipere merentur; unde ad eam significandam Ecclesia romana inter alias sacras nuptiarum caeremonias, benedictiones varias adhibere consuevit. Primum matrimonii bonum assignat d. Augustinus fidem, hoc est fidelitatem, ut neuter coniux alieno coniugi se commisceat: hanc observavit adeo exacte b. Virgo, ut non solum alienum, sed nec proprium virum unquam agnosceret, d. Matthaeo attestante (c. 1): *Ioseph autem non cognovit eam*. Secundum bonum est proles, in quo praecelluit adeo Maria, ut si aliae foeminae principes pepererunt, aliae patriarchas et prophetas, aliae imperatores et monarchas ac praestantissimos viros, Maria tamen Deum et hominem, Regem regum, et Dominum dominantium, quo nihil sublimius excogitari potest, utero suo concepit et peperit. Tertium bonum est sacramentum, quod idem est quod sacrum signum, de quo d. Paulus (Ephes. 5. 42): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia: signat enim et repraesentat matrimonium coniunctionem Christi cum illa, immo et unionem Verbi cum humanitate, quae in virgineo thalamo celebrata fuit: ut ergo angelus Mariam non solum tamquam virginem, sed quatenus nuptiam benedictam esse prae cunctis foeminis significaret, ideo illam alloquens dixit (Luc. 1): Benedicta tu in mulieribus.*

Restat iam egregias, quas Patres expositio-

nes nobis tradidere, in medium proferamus, ex quibus non parum excogitatas a nobis expositiones iam supra relatas corroborandas fore opinor. In primis d. Bernardus (super Misus in comment. huius loci) inquit: *Benedicta tu in mulieribus, quae generalem mulierum evasisti maledictionem, ut nec sterilis maneat, nec cum dolore parias, Concipies quippe sine macula; gravida eris, sed non gravata; paries, sed non cum tristitia; nesciens virum, gignes filium: d. lius eris mater, cuius Deus est pater. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginis, Deumque paries, et de coelo concipies. Andreas Ierosolymitanus his verbis praedictum locum illustrat: *Benedicta tu in mulieribus: inquit enim, Quam Isaias prophetis oculis conspiciat, prophetissam, et virginem nuncupavit: laterem insuper et locum, visionemque et libri caput, idque sigillo consignatum manifeste appellat. Vere benedicta tu, quam Ezechiel propheta verum solis ortum proclamavit; sola vere benedicta es, quam montem magnum, vir ille desiderabilis Daniel vidit, ac montem umbrantem Habacuc ille admirabilis; montem praeterea Dei, montem pinguem, montem quem Deo inhabitare placuit. Benedicta tu, quam Zacharias vir divinusimus, aureum candelabrum septem vidit lucinis ornatum, nimirum septem illis Spiritus sancti donis, clarum et lucidum. Vere benedicta tu vidit nostrae salutis ligni paradisi, quae ipsum horti Eden columnam, Christum inquam Dominum, intra te habes, figuris adembratum; qui ineffabili quadam potentia fluminis instar vitparum uterum tuum egressus, quatuor velat iudicis per evangelium suum, orbis faciem irrigavit: haec enim Andreas Ierosolymitanus: ac tandem s. Petrus Chrysologus (serm. 145. in eadem verbo) haec praeclara scripsit: *Vere benedicta, quae fuit maior coelo, fortior terra, orbe latior. Nam Deum, quem mundus non capit, sola concepit. Portavit eum, qui portat orbem; genuit genitorem suum, nutritur omnium viventium nutritorem. Fuit olim patriarcharum benedictio in pinguedine terrae: Ecce terra nostra dedit fructum suum; terra desuper venientem recipiens inebrem, producens tamen tributis, et spinas, maledicta est: haec, nullo ab homine semine suscepto, sed tantum Spiritus sancti gratia perfusa, suum, ac eiusmodi copiosum fructum edidit, ut quisque in illa cumulatisimam gratiam agnoscat. Cui cum eius Filio sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.***

HOMILIA IX.

Multiplex sanctorum Patrum expositio in illa verba: Quam cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat, qualis esset ista salutiatio; ex quibus Virginis mira taciturnitas, ac verecundia cum excimia prudentia coniuncta colligitur; variaeque, ac permittae praedictae turbationis causae traduntur.

Sacer evangelista d. Lucas, egregium suae evangelicae narrationis ordinem servans, postquam introduxerat angelicum paranympum Mariam virginem salutantem, nunc eandem auscultantem inducit, trifariamque illam commendat, ab auditu, cogitatu, et affectu: ab auditu: *Cum audisset: ecce laudat eius silentium, et taciturnitatem: Audi, tacens, et pro reverentia accedit tibi bona gratia (Eccles. 32): a cogitatu: Cogitabat, qualis esset ista salutiatio: ecce commendat prudentiam, ut enim dixit Sapientis (cap. 6): Cogitari de sapientia, sensus est consummatus: ab affectu tandem: Turbata est in sermone eius: ecce laudat verecundiam, quam antiquum Eriithraeae sybillae valcinium (lib. 8. oracl.) praedixerat:*

Tum virginitalis amatrix Perpetuae. magno subito concepta stupore Atque metu trepida, pressit formidine mentem, Ignotis verbis commoto corde tremiscens.

Atque circa haec tria elucidanda, et illustranda, tota haec nostra praecipue versabitur oratio. Ad primum igitur accedens: *quae cum audisset, observavit adamussim b. Virgo consilium illud, quod nobis praebuit d. Iacobus (c. 1): Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Tarditatem hanc considerans in Maria d. Bernardus, postquam ex sacris eloquiis collegisset, quales tantum narrari loculam; postmodum tam pie, quam sapienter, haec verba subiungit: *Numquid non narratur ab initio venisse pastores, et primam omnium Mariam invenisse? sic, et Magi quoque, si recolis, non sine Maria matre, eius Puerum invenerunt; et inducens in templum Domini templi Dominum, multa quidem a Simeone audivit. Quam de seipsa ad loquendum tarda, velox ad audiendum, et quidem Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo, sed in his omnibus, neque de ipso incarnationis dominicae mysterio quodcumque verbum fecisse reperies. Toties denique Maria filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis, sed, et discipulis seorsum regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit spirantem, vidit resurgentem, vidit et ascendentem; sed in omnibus quoties verecundissimae Virginis vox memoratur audita? quasi dicat; quater tantum. Equidem, sicut poeta Menander dixit, referente Aristotele (lib. 2. pol. c. 8): *Mulierem ornat taciturnitas; non potuit beata Virgo, cuius animus omnium virtutum margaritis ornatisissimus erat, praeclearo silentio or-**

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. I.

namento, virginibus valde consentaneo, carene. Ne tamen tantae Virgini posset obici id quod Theophrastus cuidam convivae, nullum verbum proferenti, dixit: *Si stultus es, rem facis sapientem; si sapiens, stultum: ipsa quidem extremorum fugiens vilitum, medium inter loquelam, et silentium elegit, memor illius Salomonis sententiae (Ecc. 3): Tempus tacendi, et tempus loquendi: ut enim loquendo, iam et silendo peccari potest, iuxta illud David (Psal. 38): *Silui a bonis; vel, ut Genebrardus vertit, a iusta causa loquendi destitit: unde sicut cantores, cum concinunt, ad duo praecipue attendunt, ad punctum scilicet cantus, et ad pausam, ut aiunt; aequalemque curam adhibent, tam in observando puncto ad vocis sonum emittendum, quam in pausa, ut a vocis prolotione se abstineant, quando per brevem morulam silere debent, quia ex utriusque observatione artificiosus concentus resultat, et altiora illarum deficiente, dissonus, et ingratus redditur cantus; ad eundem modum beata Virgo, in omnibus extimiae suae sanctitatis specimen praebens, ad punctum loquelae, et ad pausam silentii attendebat, nunc quae oportebat, pauca verba promittens, non silens, et taciturna existens, prout ratio temporis postulabat. Non erat certe regina Vates huius salutaris doctrinae ingnarus, cum Deum alloquens, dicebat (Psal. 140): *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: non postulat a Deo, muro lapideo os eius obturari, sed ostium claudi: quia sicut ostium, nec semper clausum, nec semper apertum esse debet, sed debitis temporibus modo aperiendum, modo claudendum; ita os, nec semper loquacitate apertum, nec semper perpetuo silentio clausum esse debet: unde ipse David, advertens se id non observasse, dicebat (Psal. 31): *Quoniam tacui, intellexerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Mirabile certe est, quod simul dicit, et tacuisse, et clamasse; quomodo haec duo inter se cohaerent? Quoniam tacui, dum clamarem tota die: si enim tacebat, quomodo clamabat tota die; et si clamabat, quomodo tacebat? hoc sane horrendum portentum parit inordinata lingua, ut simul, et semel sileat, et loquatur: silet enim bona, cum loquitur mala; et propterea inquit David (Psal. 31): *Intellexerunt ossa mea: hoc est, emarcuerunt virtutes, quae erant in me, aperte quidem per ossa significatae, quia sicut ossa infirmam carnem sustentant, ita virtutes animae a Deo infusae illam conservant. Longe quidem a beata Virgine haec davidica imperantia abfuit, quae merito tibi usurpare poterat illud Isaiiae (c. 51): *Dominus dedit mihi linguam eruditam: vel, ut LXX. Interpretes vertunt, Dominus dedit mihi linguam disciplinatae, ut sciam, quomodo oporteat me loqui. Hinc opus est, ut discant virginibus, Mariam aemulantes, et debitam taciturnitatem, et in loquendo maturitatem sectari: si enim nihil magis, quam munditia virginibus decet, silentii oportet esse custodes, memores eius, quod dicitur (Num. 14): *Vas, quod non habuerit operculum, vel ligaturam desuper, immundum erit. Sane garrulitatem, ac loquacitatem a foeminis, et praecipue vir-*******

ginibus, longe abesse debere, ipsa etiam natura non obscure insinuavit, cum praebens variis animantium masculis cantum, foeminis tamen eorum consortibus illum negaverit: ut enim tradit Plinius (l. 2. 26), cicadae foeminae non cantant: et teste Tiraquelo (in 12, *legem comitalem*), in ipsythaecis foeminae non sunt garrulae. Deinde fecit tanti ille poeta paganus silentium non solum in foeminis, sed et in viris, ut non dubitaret dicere Cato:

Virtutem primaem esse puto comescere linguam.
Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere.

Et d. Antoninus (p. p. *suae Chron.*) refert, Demosthenem, aliquo inter Graecos eloquentiae principem, adeo silentium coluisse, tadturritatis virtutem comparandi cupidus, ut solitus esset parvum quemdam lapidem in ore deferre: et s. Ambrosius de Pytagora philosopho tradit, quod per quinque annos suis discipulis loquelae usum prohibebat, ut silentii assiduitate apse loqui addicerent, atque ab hac lege non longe abesse illa, quom foeminis d. Paulus praebuit (1. ad Tim. 2): *Mulier discat in silentio*, tandem illud sufficere debet ad silentium, et tacturritatem suadendum, quod Salomon (Prov. 21) dixit: *Qui custodit os suum, custodit animam suam*: custodit sane a nullis linguae peccatis, quae graviter ulcerant animam (Prov. 10): *Quia in multiloquio non deperit peccatum*; unde ad illa vitanda, silentii opus est remediis uti, instar anserum Siciliae, de quibus refert d. Augustinus (in *fi. suor. ep.*), quod timenes, ne, si garrando ab uno loco in alium proficerecentur, ab aquilis audite dilaniarentur, lapillum ore deferrebant, quo a garrulatione praepediabantur. Hos imitari anseres non est designatus silentii servandi vigilantissimus ille Agalon abbas, qui, teste d. Hieronymo (in *vitis Patrum*), ut linguam comesceret, parvum quemdam lapidem, sicut de Demosthene diximus, in ore gerere consuevit. Hac tamen industria opus non habuit b. Virgo, cuius linguae gubernaculum Spiritus sanctus peculiari ratione gerebat, adeo ut, ne unicum otiosum verbum per totum vitae curriculum ab eius ore deflueret, ut docet sacrum concilium Tridentinum.

Ceterum, ut inauditam Virginis reverendum cum rara humilitate, ac insigni prudentia coniunctam, intueamur, varias Virginis cogitationes, quas animo solvebat, variasque rationes, quae turbationis eius causam praebuerant, diligenter scrutemur. Card. Caietanus (3. p. q. 30. art. 3) censuit, in animo Virginis fuisse turbationem ortam ex necessitate materiae, seu ex infirmitate corporis, quod debilitatur, dum anima per multum temporis ad superna tendit; existimavit enim illam Virginis turbationem persimilem fuisse turbationi, quae accidit Zachariae, de qua d. Lucas (c. 1) ait: *Timor irruit super eum*: et alteri Danielis dicentis (c. 10): *Non remansit in me fortitudo, sed species mea mutata est in me, et enarui, nec habui quidquam virum*: at meo iudicio fallitur Caietanus, quia, cum turbatio oritur ex debilitate, et necessitate materiae, praeventit humanam volun-

tatem, et antevertit usum liberi arbitrii, ita ut vix illud relinquat compos, ut applicet intellectum ad discernendum; quo sane modo se habuerunt turbationes illae Zachariae, et Danielis: beata autem Virgo hoc imperfectae turbationis genere miime laboravit, ut non obscure testatur d. Bernardus (ho. 3. sup. mis.) dicens: *Turbata est, et non perturbata; turbata est, et non est locuta, sed cogitabat, quibus esset ista salutatio*: quibus consonant egregia Andreae Episcopi Ierosolymitani verba (serm. de Annun.): *Sola autem quondam dispositione aliquantulum meditabunda, mentis commotionem quandam significavit, motum decore pro sermone usa*. Fuit ergo sine dubio turbatio illa timor, et pavor ortus ex ponderatione coelestium arcanorum, quae sibi ab angelo pandebantur; unde continuo angelus dixit ei (Luc. 1): *Ne timeas Maria*: timor igitur hic erat, qui Mariam turbaverat. Quae autem fuerit causa huius timoris, quae capita, tot video Patrum sententias.

D. Ambrosius (lib. 1 de offic. cap. 13), Hieronymus, et Damascenus, turbationem Virginis docent ortam ex subita, et inopinata apparitione: angeli in forma viri; cui sententiae favet graeca lectio, quae, ubi vulgata nostra legit, quae cum audisset, illa legit, quae cum vidisset. D. Ambrosius loquitur in hunc modum: *Salutata ab angelo tacet, et mota est ad introitum eius, quia ob virilitatem speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis*: (sup. caput 1. Lucae) inquit: *Trepidare virginem est; et ad omnes viros ingressus pacere, omnes viros offensus vereri; discant ergo mulieres propositum pudoris imitari*: et (lib. 2. de Virg.), in principio tacitae obiectioni, cur b. Virgo angelicis visionibus assuevit, usque angelo turbata fuisse, respondens ait: *Gabriel cum, ubi reversi se lebat, invenit, et angelum Maria, quasi viri specie nota trepidavit, quasi non incognitum auditio nomine recognovit; ita peregrinata est in viro, quae non est peregrinata in angelo*: quibus verbis significat, solitam quidem fuisse b. Virginem habere angelicas revelationes, non vero externas, et sub sensibili specie viri. Idem etiam sensit d. Hieronymus (epist. 7. ad Laet.) dicens: *Ideo forsitan timore petterita Virgo est, quia virum, quem non solebat, aspexit*: et (in epist. ad Eustoch.): *Quae hominem formidabat, cum angelo loquitur intrepida*: et d. Damascenus (orat. 1. de dorm. Virg.) ait: *Virgo angeli ore commota est, ut quae cum viris colloqui minime consuevisset, siquidem virginatum sedulo serare constituerat*. D. Chrysolgus (serm. 140) causam illius turbationis censet fuisse tam maiestatem, et auctoritatem personae mittentium, quam eximium splendorem, ac fulgurantes radios, quos angelus ex se mittebat; qui intelligentiae favet Ecclesiae, dum canit: *Et expavescit Virgo de lumine*: verba d. Chrysolgi haec sunt: *Quid est, quod personam videt, et de sermone turbatur? quia venerat angelus blandus in specie, fortis in bello, mitis in habitu, in sermone terribilis, humana profertur, sed divina reprovittens; unde Virginem, quam leviter visus sollicitaverat, nimium turbavit auditus; et quam missi praesentia parum moverat, concussit toto pondere mittentis auctoritas*. Immo

d. Hieronymus (ad Eustoch.) inquit: *E accessivum lumen, quod repente irradiavit cubile, timorem incussit*. Accedit ad haec, quod pavorem incutere solet angelica praesentia, si cum gloria coruscans appareat: ita enim pastores lumine circumfusi, territi fuere; et custodes sepulcri facti sunt velati mortui; et mulieres conciderunt angelis apparentibus, ut c. testantur sacri evangelistae; et simile quiddam contigit Indicum 13. cum angelus Samsonis conceptum matris nunciavit, quae dixit: *Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis*: in quem locum Card. Caietanus sic scribit: *Non apparuit sub viri amabilis, sed timendi specie angelus, quia mulieri juveni apparebat, nec decebat, cum trahere ad sui amorem, sed ad reverentiam*. Origenes (hom. 6. in Luc.) putat, turbatam fuisse Virginem ex insolito genere salutandi, quia a saeculo non fuerat auditum, quod foemina aliqua fuisset ab angelo gratia plena vocata: sic enim ait: *Soli Mariae haec salutatio servabatur: si enim scivisset, ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe legis scientiam, nunquam quae peregrina salutatio terrisset*. Non dissimilia dicit Ambrosius (sup. 1. cap. Luc.): *Salutationis novam formam Virgo mirabatur: nusquam enim erat lecta, vel audita*. Doctissimus Petrus Ravennas arbitratur, turbalam esse Virginem propter excellentiam superni mysterii incarnationis, quod in utero eius celebrandum audiebat; sic enim loquitur: *Quamvis motu blando, affectu pro Virginem sibi in matrem, famulanteque sibi verteret in parentem; viscera tamen eius turbata sunt, ipsa quoque tremefacta humana conditio, cum eius conditor Deus, quem tota creatura non capit, totum intra pectus Virginis se receperit; nam, ut angelum vidit, mens eius contremuit, cum eius ingressu delatis sensit ingressum; haec ille*. Confirmant eandem expositionem verba Laurantii Iustin. (in serm. de An.) dicentis: *Turbata est non ex angelico aspectu, quasi insolito, quippe quae ingiter visitabatur ab angelis, sed ob excellentiam tanti praesegii, quod propria merita praecellere videbatur*. Subscribit idem sententiae d. Augustinus (ser. de Ann.) dicens: *Post illius benedictionis praesagium terretur Virgo de nocte verborum*. D. Bernardus (hom. 3. sup. Missus) arbitratus est, Mariam prudentem turbatam fuisse, quia a principio salutationis dubitavit, an saluta ns esset angelus bonus, vel malus: *Sciebat*, inquit, *prudens Virgo, quod saepe angelus satanae transfiguratur se in angelum lucis; et super illa verba: Ne timeas Maria, nihil hic doli, vel fallaciae, nullas hic insidias suspicaris, non sum homo, sed spiritus, non angelus satanae, sed Dei nuntius*. Similia dicit Euthymius (sup. cap. 1. Luc.): *Turbata est, quia timuit, ne forte dolus esset, et cogitabat, utrum divina esset salutatio, an a daemone*. Subscribit huic sententiae Andreas episcopus Ierosolymitanus (serm. de Annun.) dicens: *Ne timeas Maria, non fraudulenter hic modus est, aut fallendi animo ad te venio, non impostor serpens rursus tibi loquitur, non terrenus tibi nuntius adsum; ex altissimis ceni, laetum nuntium, nec quatuorquocumque laetum nuntium, sed plenum gau-*

dii laetum nuntium; atque hoc est, quod d. Ioannes (1. Ioan. 4) nobis faciendum consulit: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*: Eva quidem intrepidam absque debilo examine accommodavit aurem serpenti, sed concepti dolorem, et peperit iniquitatem; Maria autem cogitabunda, et turbata, Filium Dei mox concepit, et parit: *Ecce concipit, et paries*. D. Thomas (3. p. q. 30. art. 3) ex doctrina magis abbatis Antonii utilem valde regulam nos docet, ad discernendum angelum satanae ab angelo lucis: *Non difficiilis, inquit, est, beatorum spirituum, malorumque discretio: si enim post timorem successerit gaudium, a Domino co-nosse sciamus auxilium, quia securitas animas praesentis maiestatis indicium est; si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur*. Itaque in hoc dignoscitur angelus bonus a malo, quod angelus bonus, quando apparet, in principio terret, in medio confortat, in fine vero laetificat: unde Gabriel b. Virginem in principio terret, quando ipsa turbata fuit, in medio confortat, quando dixit (Luc. 1): *Ne timeas Maria*; in fine vero laetificavit, quando eam ex divino spiramine gravidam reliquit. Et contra vero angelus malus, quando in angelum lucis se transfiguratur, primo delectat, in medio confortat, in fine tandem afficit tristitia.

S. Thomas (3. p. q. 30. art. 3. in fin.) ex quorundam Patrum sententia docet, beatam Virginem, utpote assuetam angelicis visionibus, non fuisse turbatam in visione angeli, sed in admiratione eorum, quae ei ab angelo dicebantur, quia de se non tam magnifica cogitabat; unde eecanagista non dicit, quod turbata fuerit in visionis angeli, sed in sermone. Atque hanc humilitatis causam approbans ipse d. Thomas (ead. quaest. art. 4) ingeniose observavit, angelum annunciationem suam ab illa honorifice salutatione, *Ave gratia plena*, inebasse, ut Virginem attentissimam redderet: nihil enim magis ad attentionem movet, quam admiratio. Aristoteles enim inquit, admirabilia esse, inusitata omnia; et antiquos philosophos philosophari coepisse propter admirationem: nihil autem personam humilem magis in admirationem rapit, quam propria laudatio. Beatus etiam Laurentius Institionianus (ser. de Ann.) eiusdem turbationis causam humillatam Virginis assignavit, quae non alium saperet: *Consuevit namque humilitas, sicut semper stare sub se, ita difficile fides accommodare eis, quae super eam esse censentur*. Idem doctor Bernardus (sup. Missus): *Indignam, inquit, se angelica salutatione reputabat, et forsitan in mente, talia meditando, revolvebat*: Unde hoc mihi, ut veniat ad me sic salutandum angelus Domini? Equidem ei, qui vere humilis est, nihil magis displicet, quam proprias laudes auscultare: talis enim, cum laudatur in facie, acriter vexatur in corde; est enim humilis tam ingratum laudari, et exaltari, quam superbo molestem deprimi, et humiliari: atque hinc est, quod b. Virgo, tanquam vere humilis, ad audita eius praecona continuo turbatur, Apostoli enim Paulus, et Barnabas audientes divinas laudes ab hominibus sibi deferri: *Scisis tunicis suis eiecerunt in turbas exclamantes: et nos mortales sumus, similes vo-*

his (Acor.14). E contra vero Aman superbus, audiens sententiam regis Assueri illum humiliantem usque ad suspendium ligni, tremens vehementer contritatus est. Sicut similiter audiens maiorem honorem a famulis hebraeis Davidi, quam sibi deferri, cum cerneret (1. Reg. 18): *Saul percessit mille, David autem decem millia*. Tandem nascente Christo turbatus est Herodes, et omnis Ierosolyma cum illo, putans se a regno fore depellendam. Balthassar deinde, cum sententiam privationis sui regni in pariete coelitus scriptam intueatur, pavet contritatus et contremiscit. Sicut enim domificatores, qui assueti sunt alta loca conscendere, non facile turbantur, nec casum timeant; qui vero imis tantum locis ambulare assuefacti sunt, si contingat in alta loca ascendere, continuo turbantur, et casum timeant; non dissimiliter superbi assueti per ambitionem dignitatum culmina, si non re, saltem desiderio transcendere, cum ad illa evehantur, non turbantur; humiles vero, cum per humilitatem semper assuescant humilia petere loca, et in seipsis propria sui cognitione vilesceat, ac deprimi, si contingat re, aut verbis exallari, confestim turbantur, casum timeant, et praecipitium verentur. In Virgine sane impletum fuit illud Salomonis (Prov. 27): *Quomodo probatur in confessorio argentum, sic probatur homo in ore laudatoris: cum enim primum illud laudis verbum, Ac gratia plena, quod adulationem redolere poterat, audivit, continuo turbata est: quo quantum nos adulationem propulsare oporteat, aperte docuit. Quemadmodum enim vento mare concitatur, et orta tempestate, si adeas litus maris, respicis fluctus tumescere, et aquam turbari, et tunc homines nimive navigare audent, certi enim sunt, navim mediis fluctibus involutam, ingenti periculo expositam esse, et ideo tempus tranquillum expectant: ad eundem modum, quoties adulatores hominis animum laudibus demulcent, debent laudati timere, et turbari, et laudatoribus non facile fidem adhibere: nam si adhibeant, et se credant vento secundo sulcare mare, quam cito peribunt. Unde merito quidam philosophus cum laudaretur ab adulate, turbatus, et in iram concitatus omnibus circumstantibus dixit: *Quid mali feci?**

Tandem dicimus, quod cum b. Virgo non esset ignara sacrae Scripturae usurpantis verbum, benedicere, pro eodem, atque foecundare, seu prolem dare, ut patet (ex 1. Gen.): *Benedixit eis dicens: Crescite, et multiplicamini: certe audiens ab angelo: Benedicte tu inter mulieres, acumine sui ingenii divino lumini suffulti, agnovit, angelum non solum a gratia, sed a futurae proliis foecunditate illam laudare; unde, cum ipsa castissima esset, et sui pudoris amantissima, continuo verecundia perflua erubuit, et prae verecundia turbati coepit: ut enim dixit d. Bernardus (ser. 3. sup. Miss.): *Solent virgines semper esse pavidae, et nunquam securae, scientes se in vasibus fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse, angelice vivere inter homines, et in terris more coelestium conversari: unde omne novum suspectas reddit insidias: et ibidem etiam ait: Quod turbata est, verecundia fuit virginis; quod non perturbata,**

*fortitudinis; et quod tacuit, et cogitavit, prudentiae. Congruit sane adamussim b. Virgini illud (Eccles. 26): Gratia super gratiam, mulier sancta, et pudorata: pudor ergo, et verecundia b. Virgini, iuxta Bernardi sententiam,urbationem illam peperit, de qua evangelista: Cum audisset, turbata est in sermone eius. Refert Sulpicius (cap. 10), in provincia quadam, nomine Helesina, fontem quemdam reperit, quo si quis iuxta illum verba facere incipiat, continuo aqua commoveri, et perturbari incipit: fons erat clarissimus b. Virgo, ac ut primum insolita verba angelus protulit (Luc. 1): *Ace gratia plena, Dominus tecum, benedicte tu in mulieribus, continuo sacro quodam affectu pudore, coepit turbari (i. bid): Quae cum audisset, turbata est in sermone eius. In hoc sane valde elucet virgineae Mariae verecundia, e diametro opposita inverecundiae primae mulieris, quod illa ad angeli sermonem turbatur, haec vero ad verba serpentis non minime patitururbationem, sed cum eo, velut antiquissimo amico, confabulatur. Propterquam eximiam Virgini verecundiam arbitror Sponsum comparasse illam monti Carmelo (Cant. 7. 5): *Coput tuum, sicut Carmelus: recte quidem portet illam comparasse monti Sinai, ubi Deus legem tradidit Moysi, et unde ipse descendit variis divinae lucis fulgoribus cuscans. Recte etiam eam comparare possit monti, unde propheta Balaham benedixit populo Dei; necnon etiam illi alteri, unde Elias vidit Deum non in igne, et commotione, sed in sibilo aurae lenui involutum: ac tandem recte illam comparare potisset fellic illi monti, in quem angelus revelavit Loth, ut auferret, ne ignis Sodomae, et Gomorrhae illum contingeret. Ad consulto nulli monti, nisi Carmelo illam comparavit: quia praeterquam mons iste altitudine sua reliquos omnes longe antecellit, in quo excellentiam Virgini super omnes puras creaturas denotat, haec honorificentissimo titulo insignitus est in sacra Scriptura: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron. Unde cum vultus decor pulchritudinem importet, verecundia, et modestia associata, quae externas foeminae actiones a recto deflectere non sinat, et haec in b. Virgine mirum in modum effulgeret, iuxta quod Sponsus ei dixit: *Pulchra es, et decora filia Ierusalem; ideo cum monte Carmelo illam composuit, qui praeter multitudinem, et pulchritudinem arborum, omnes cum summa proportione dispositas continebat, quod eximium et decorum conferebat. Tandem illi dignum observatione arbitror, adeo placere Deo virgineum ruborem, et ex verecundiae virtute ortamurbationem, ut in utero Virgine verecundiaurbationem concepit. Unde quemadmodum, ut narrat Alexander ab Alexandro (in lib. Gen.), in Gentilium sacrificiis Apollinis oraculum responsum suum differe solebat, quoque victima in ara oblata, turbare et tremefieri coepisset; non secus, ut profana in sacra convertamus, in sacrificio, quod hodierna die b. Virgo tam animae, quam corporis sui Deo Patri obtulit, Verbum divinum, aeterni Patris oraculum, iuxta illud d. Pauli (Hebr. 1): *Novissime autem locutus est nobis in Filio, antiquis Patrum de eius incarnatione desideris reipsa non******

respondit, quoque sacra illa victima b. Virgini prae verecundia turbati, et moveri coepit.

Hanc rarum, et inauditam Virgini verecundiam contemplans d. Ambrosius (1. 2. in Luc.), ait: *Disce virginem moribus, disce virginem verecundia. Haec enim foeminiis apprime necessaria est, tanquam murus reliquas omnes virtutes custodiens, atque praemuniens: unde Tertullianus (de vel. virg.) revocans in memoriam argumentum illud, quod suae verecundiae, et pudoris olim Rebecca exhibuit, quando vidit Isaac futurum eius sponsum, continuo operuit velamine vultum suum, eleganter dixit: *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia, virgo secundum amorum nomina dixerim, vela caput, si mater es, propter filios, si soror, propter fratres, si filia, propter patres, omnes in te ceteros periclitantur; indue armaturam pudoris, circumdare vallum verecundiae, murum secui tuo strue, qui nec tuus emittat oculos, nec admittat alienos. Observavi ego, quod cervia alio vocabulo dicitur dama, et merito quidem propter similitudinem, et similitudinem, quae inter cervam, et puellam virginem, quae vulgari sermone dama appellari solet: quemadmodum cervae ex sola commotione folii solet pavere, ac tremere, ita verecundia virgo ad cuiuscunque viri affatum peregrinatur, et pavescit; et sicut cervam mille venatores insectantur, ut eam capiant, velut ille alter poeta dixit:**

Imbecilles damae, quid nisi praeda sumus?

ita totidem venatores reperies, qui diu laborantes, ac integras noctes insomnes ducentes, varia expandunt retia, ut virgines, velut imbecilles damas, fraudulenter capiant. Adversus ergo hos infestissimos venatores optimum praesidium, instar muri, et anlemuralis noscitur esse verecundia: haec enim fugam suadet, quae cervis ad praevocandum mortem praecipuum remedium esse solet.

Porro postquam iam vidimus rarum silentium, profundam humilitatem, ac eximiam Virgini verecundiam; reliquum est ostendamus, prout pollicii fuimus, haec heroicas virtutes cum summa prudentia in ea coniunctas fuisse, quod non obscure indicat verba Lucae (c. 1) dicens: *Ei cogitabat, qualis esset ista salutatio: unde d. Chrysol. (ser. 140) inquit: Cogitavit Virgo, cito respondere est felicitatis humanae, cogitare vero ponderis est maximi, et iudicii praematurum. Abigailis prudentiam sacra commendant eloquia, eo quod David contra Nabal Carmelum ira percitum sedavit, unde de illa dicitur (1. Reg. 21): *Erat mulier prudentissima: Teculis etiam prudentiam exollunt, quod Salomonem cum patre suo reconciliaverit: Rebecca itidem prudentiam efferunt, quod modum, et industrium filio suo Iacob dederit, ut benedictionem, et primogenituram a patre suo Isaac referret: Iudith tandem prudentiam mirifice laudant, quod Holofernem singulari quodam stratagemate devicerit, caput amputaverit, exercitum eius profligaverit, ac praelara divitiarum eius spolia tulit: istarum foeminarum prudentia tametsi insignis fuerit, ac aeterna memoria digna, minime tamen cum ra-**

ra Mariae prudentia venit comparanda, cum prudenter cogitans angelicam salutationem: *cogitabat qualis esset ista salutatio: paucis illis verbis, Ecce ancilla Domini, fati mihi secundum verbum tuum, peccatores cum Deo reconciliavit, divinum iram compevit, caput daemonis contrivit, ac Filium Dei hoedinis nostrae mortalitatis pellibus induit, ut benedictionem a coelesti Patre universo opti obtineret. Memini d. Augustinum (serm. 4 ad frat. in ere.) dixisse, quod et ante illum eloquentiae parentem docuisse 2. Rhet.) lego: *Prudentia docet, quomodo praeritorum recorderis, et quomodo futura provideas: quod idem haud obscure innuerant prisci illi romani, teste Pierio Valeriano, qui prudentiam cum triplici facie depingebat, ut quod ad tres illas temporis differentias, praeteritum, praesens, et futurum respiceret, praeteritum, idque munus prudentis viri esse docuit. Seneca (lib. de benef.) dicens: *Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensatur, praeterita cogita, praesentia ordina, futura provide: Maria igitur, tanquam virgo prudentissima, praeterita, praesentia, et futura cogitans, animoque volvens praeteritum angeli et hominis casum, praesentem coeli, et terrae laetatum, ac futuram utriusque reparationem, ut omnibus his, quod passos, prudenter provideret Verbi divini incarnationi, ac temporali conceptioni in utero eius celebrandae verbis illis, *Ecce ancilla Domini, consensit: sicut enim angelus dixerat: *Ecce concipies: quo promittidinem Filii Dei in utero eius venturi significavit, ita ipsa dicens: *Ecce ancilla Domini, promittidinem, quo illum virgineo suo thalamo suscipere parata erat, ostentavit: pertinet enim valde ad praesentiam, ut quanto res maturiori iudicio cogitata est, tanto postea promptius alque celerius executioni mandetur; unde Octavianus imperator, ut in vita eius legitur, pro insigni suo accepti amorem, quam delphinus amplexabatur cum hac inscriptione: *festina lente: gravitate quidem anchorae maturitatem, et gravitatem consilii in deliberando significabat; delphini vero mira velocitate celeritatem in eius executione denotabat; utramque istud inscriptio illa portendebat: *festina lente: lente, inquam, in deliberando: *festina, in exequendo. Hinc velim discamus, valde necessarium esse prudentiam in rebus agendis; nam, ut ait d. Augustinus (ser. 4 ad frat. in ere.): *Prudentia docet quid fugiendum, et quid tenendum sit; prudentia docet te, ut quae non potes perpetuo tenere, fructuose permittas abire: prudentia docet te, ut in cunctis semper idem sis, tam in prosperis, quam adversis; prudentia testimonium veritatis, non amicitiae reddat; prudentia cum discretionem, et promissum accelerat, et amplius, quam promissum, praestat; haec ille. Tria ista prudentia munera docuisse mihi videtur angelus, cum dixit Esdrae (1. 4 c. 4): *Pondera mihi ignis pondus, mensura mihi statum venti, revoca mihi diem, quae praeterit, videntur quidem haec prima facie quaedam deliria; sed non sunt, si altius ea perpendamus, sed prudentissima quaedam documenta ad informandos corruptos hominum mores utilissima: cum enim ait: *Revoca mihi diem, quae praete-************

rit: praeteritam nostram vitae consuetudinem in vitibus emittite in memoriam revocare suadet, iuxta illud davidicum (*Ibid.*): *Peccatum meum contra me est semper*: seu, ut legit d. Augustinus, *peccatum meum coram me est semper*. Cum vero ait, *mensura mihi statum venti*, quid aliud monet nisi praesentis vitae brevitate, fugacitate, et inconstantiam, quam vultu expresse comparavit Iob dicens (c. 7): *Quoniam ventus est vita mea*. Cum tandem subiunxit, *pondera mihi ignis pondus*, aperte nos edoceat, attente in nobis pendere, quo ignei amoris nostri pondus nos ferat; nam, ut dixit d. Augustinus (*l. Confess.*): *Amor meus pondus meum*; illo feror, quocumque feror: ex hoc enim examine, et scrutinio facile erit coniectari, et praesagire futura, quae nos expectant: nam si amor noster ad coelestia nos impellit, coelestem patriam nobis pollicetur; sin vero ad terrena nos deprimat, aeternam nobis minatur damnationem merito nobis pertimescendam. Quid plura? certe sicut quae ponderosa sunt, aquarum ima petunt, quae levia, fluitant: sic animus gravitatis, et praedens, rerum fundum cogitando petit; levis, et inconstans, in superficie rerum fluitat. Per tenebrosam domum, pedentem inter habendum, parietesque sunt palpandi: tenebrosa domus mundus est hic, in quo versamur; pedentem igitur, hoc est, cum consilio, ac maturitate, rebus in arduis incedendum: negotia cogitatione prius veluti manu palpanda. Nautae, demissa holide, maris profunditatem explorant; tu demissa, cogitatione, negotii pericula expende. Misit Moyses, antequam terram promissam ingrederetur, exploratores: mitte tu, antequam negotium aggrediaris, veluti fidissimam exploratricem, cogitationem; vadam prius fluminis, id est negotii periculosum, lenita, ne si infrenato vado temere pertransire velis, aquis obruaris; ut enim Seneca (*ep. 22*) scribit: *Pavesunt qui consilio se, vaeque disponant, ceteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur*. Tu vero ex paucis illis esto, ne casu, ac temere, sed consilio vitam agas, ut aeternam consequaris, quam nobis donare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

Multipli eruditione exponuntur verba illa angelica: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; cuius occasione ostenditur, quantum ad difficultates superandas intrepidus sit, qui Deum per gratiam secum habet; e contra vero, quam pavidus, et imbecillus, qui Dei gratia caret.

Agnosens angelus Gabriel, divino spiritu afflatus, inopinatum eius salutationem, quamdam pie perplexitatis turbationem in Maria animo genuisse, ut eam ex eius pectore depelleret, pacificae ac tranquilla mente secretissimum arcanum sibi revelandum gratanter, ac benevole Maria susciperet, verba illa

vatis mysteriis grava illam alloquens protulit: *Ne timeas Maria*; quasi dicat: longe a te omnem depelle timorem: non enim ego sum angelus ille, qui primum hominem et paradiso eiecit, immo venio, ut homo in coelestem paradysum reducat: non sum ille angelus, qui universam Aegyptum septem gravissimis plagis exulceravit, immo annuntio illum, qui sacramentis, velut saluberrimis antidotis, humani generis vulneribus medebitur: non sum ille angelus, qui grave legis onus in lapidibus descriptum, ut gravitatem eius significaret, Moysi delitit in monte Sinai, sed potius qui adventum illius annuntio, cuius iugum suave erit, et onus leve: non sum alter ille angelus, qui una nocte ingenem Sennacherib exercitum nemini parens interfecit, immo coelitus venio, ut universus orbis vitam habeat, et abundantius habeat: non tandem, o Maria, ad te venio, ut te, velut incredulum Zachariam, obmutescere faciam, sed ut tibi credentium Matri ad Verbi incarnationem consensum praestandum suadeam. *Ne ergo timeas*: iam enim lex timoris abire caepit: iam transit, imber abiit (*Cant. 2*). Non est cur Virgo angelum formidet, cum virginitas angelis sit cognata: non est cur iam paveas, quia tametsi divina revelatio in principio terreat, in fine tamen laetificat. Huius quidem timoris, et turbationis, necnon et confortationis, qua illam a Maria angelus depulit, egregiam imaginem existimaverim esse id, quod reginae Esther contigit cum rege Assuero: ut enim sacra narrat historia, cum ipsa non vocata ad regem ingenti ira periculum ingressa esset, turbationem magnam concepit, adeo ut sacer textus dicat: *Regina corruit, et in pallorem colore mutata lassum, super ancillam reclinatae caput*; quia autem continuo confortans eam occurrit: *Rex habes, Esther? ego sum frater tuus, noli metere*: sicut ergo ibi ad praesentiam Assueri tremuit Esther, ita ad praesentiam Gabrielis sibi loquentis turbatur Maria, licet non ut illa animo cadens, quia turbata haec fuit vercundiae, illa imbecillitatis: et sicut ibi Assuerus confortavit Esther dicens: *Noli metere*; ita et angelus ad consolandum Mariam, turbationem ab ea excussit dicens: *Ne timeas Maria*. Memini Plutarchum in vita Caesaris commemorare, quod cum illo navigante, magna, et inopinata oritur tempestas, ita ut infumescentes fluctus nave absorbere viderentur, naclerus pavere coepit; at Caesar ei dixit, ne extimescas, tecum enim est fortuna Caesaris: non dissimiliter videns angelus Mariam timore turbationis percussam, continuo occurrit ei: *ne timeas, cum Dominus sit tecum*: quasi dicat: tecum est non fortuna Caesaris, sed omnipotentis Dei indefectio protectio; foras mitte timorem cum patre tuo Davide concinens (*Psal. 26*): *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? si consistant adersum me castra, non timebit cor meum*. Haec verba versans doctissimus Petrus Ravenna (*in comment. hui. loc.*) inquit: *Quid timeo, quae securitatem parit, rerum causam, gaudium saeculorum; timor non est, ubi divinum est negotium, non humanum: quid timeo*

Maria, cui index est causa, assertor integritas, testis munditia? et d. Bernardus (*ser. sup. Miss.*) angelum introduxit in hunc modum loquentem: *Osi scires, quantum tua humilitas Altissimo placeat, quantoque tibi apud ipsum sublimis maneat! angelico te indignam nec eloquio, nec obsequio iudicare. Ne mireris Maria, quod ad te venit; nam et maior angelus in te venit; non mireris, angelum dominicum, nam et Dominus angelorum est tecum: postremo quid ni angelum videas, cum iam angelice vicas? Cur autem indubitam tibi dixeris gratiam angelorum, quae invenisti gratiam apud Deum? S. Petrus Chrysologus contemplanus b. Virginem turbatam fuisse, quod in se portare potuisset trinam regentem machinam, haec scribit: *Denique ne tanto ponderi coelestis fabricae in Maria subtilis nostri corporis arena succumberet, et in Virgine, totius generis humani portatura fructum, virgo tenuis frangeretur, fugatura metum vocis angeli mox processit dicens: Ne timeas Maria*. Verum mysterio sane vacare minime putaverim, quod angelus, cum salutem Virginem, nomen eius praeterit; cum tamen turbationem ab ea fugare contendit, vocem Mariae profert: *Ne timeas Maria*. Arbitror quidem, quod quia angelus probe agnoscebat virtutem mirabilem nominis Mariae, ad placandum animum, et omnem eius timorem, et turbationem abolendam, ideo consulto nominavit Virginem proprio nomine, dicens: *Ne timeas Maria*: a quo sane, ni fallor, edoctus, et illustratus angelus, qui apparuit Ioseph, si alter fuit quam Gabriel, inferiores enim a superioribus illuminantur, volens ab eo depellere turbationem, quam conceperat, videns sponsam suam, quam nunquam agnoverat, praegnantem, nomen Mariae adhibuit dicens: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: noverat enim nomen Mariae contra omnem turbationem, et timorem optimum auditulum, et praesentissimum remedium esse. Sicut igitur beata Virgo persimilis extitit Christo Domino, ita et nomen Mariae persimile fuit sanctissimo nomini Iesu, cuius proprium est non solum turbationem, sed et ipsum daemone fugare: *In nomine meo daemonia eiciunt*. Ad hac expositionem non longe recedit d. Chrysologus, cum (*serm. 142*) dicat: *Maria hebraeo sermone, latine domina nuncupatur. Vocat ergo angelus dominam, ut dominatoris genitricem trepidato deseret servitutis, quam nasci, et vocari dominam, ipsa sui generis fecit, et impertivit auctoritas*. D. autem Bernardus (*hom. 3, sup. Miss.*) aliam viam ingressus ait, angelum tunc nominasse Mariam, ut magis familiarem ei se exhiberet: *Familiariter, inquit, Virginem vocans ex nomine, benigne, ne timeat, persuadet: nihil hic doli, aut fallaciae est, nullam circumventionem, nullas hic suspitionis insidias*. Ac tandem alii poterunt, angelum consulto tunc sacrum nomen Mariae protulisse, ut ei ad memoriam revocaret, nomen eius in libro vitae esse scriptum; quod non poterat non valde eam exhilarare, iuxta illud (*Luc. 10*): *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis*.*

Ceterum ne ab historia reginae Esther recedamus, sicut de illa dicitur: *Placuit ei, scilicet*

cor regi Assuero, et invenit gratiam in conspectu illius; ita Mariae dicitur ab angelo: *Invenisti gratiam apud Deum*: quorum verborum planus sensus est, quod invenit apud Deum hunc favorem, ut mediante gratia sibi infusa ei placeret: phrasi enim hebraica frequenter in Scripturis, *invenire gratiam apud aliquem*, significatur, favorem illius consequi, idque ex solo ipsius beneplacito. Locutus est David ad Achis regem Geth: *Si invenit gratiam in oculis tuis*: hoc est, si inveni favorem. Ad eundem modum servi David dixerunt Nabal, cum peterent (*1. Reg. 25*), ut donaret aliquid ad manducandum: *Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam*: hoc est, hunc favorem concede. Magnum quidem gratiam nactus est Abraham, cum angeli ad eum diverterent, iuxta verba ab eo prolata (*Genes. 18*): *Si invenit gratiam coram oculis vestris*; sed maiorem gratiam invenit Virgo, cum rex angelorum ex ipsa natus est. Magnam sibi gratiam conferendam censebat Moyses, si Dei faciem videret: *Si, inquit, invenit gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam*; ad Virgo non vidit tantum, sed et genuit Deum; et hominem: ac tandem invenit Moyses gratiam electionis (*Exod. 33*): *Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine*. Noe obtinuit gratiam perfectionis (*Gen. 6*): *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit*: Esther (*c. 2*) gratiam invenit, ut fieret sponsa Assueri regis; ad Maria invenit gratiam, ut fieret pariter sponsa, et Mater Christi. Non quidem rapuit gratiam, ut rapere superbe contendit Lucifer, sed invenit, quia; qui quaerit, invenit, et pulsanti aperitur (*Matt. 7*): non emit gratiam, ut pecunia emere tentavit Simon magus Spiritus sancti superventionem, sed invenit, instar evangelicae illius foeminae dicentis (*Luc. 1*): *Inveni drachmam*; sed non quam ipsa perdidit, sed quam perdidit prima mater: gratiam enim, quam Eva angelo leviter credens amisit, hanc Maria angelo prudenter consentiens invenit, et recuperavit: unde Albertus magnus (*ser. 3. de Annun.*) dixit: *Invenisti gratiam; non creasti, ut Deus; non rapuisti, ut angelus; non perdidisti, ut Adam; non emisti, ut Simon magus; non abscondisti, ut infidelis doctor, sed restituiti potius, gratiam dico incretam, et cum illa omnem creatam spirituales, et corporales*.

Sed alius, si placeat, cum d. Ambrosio, et Origene (*sup. e. 1. Luc.*) verba haec explicemus: *Hi Patres nomine gratiae hoc loco intelligunt gratiam incarnationis, iuxta illud (Tit. 2): Apparuit gratia Salvatoris nostri, erudiens nos: ad cuius intelligentiam nonnulli moderni supponunt, quod cum b. Virgo divinitus illustrata, agnovisset proximum iam esse adventum Messiae, et ex prosapia dauidica, unde ipsa originem ducebat, oriundum fore, virginitatis propositum diligenter custodiens, Deum precari non cessabat, ut dignaretur illam esse virginem, de qua Isaias: *Ecce virgo concipiet*; unde, aiunt, suis precibus hanc gratiam quaesisse, et invenisse. Ceterum duo mihi id dissuadet, primum quod de rara, ac profunda humilitate Virginis verissime non est, celissimam illam Dei Genitricis dignitatem a Deo postulare prae-*